

conuulsa, ruptaque & stranguriam. Pellit & menses atque partus. Verrucas pensiles, quas acrochordonas vocant, auellit, aliquot diebus epotum. Aluum quoque sistit ad tertias decoctum & potum, siquidem febris absit, in vino: sin minùs, ex aqua.

*De Leontopetalo.* CAP. CX.

**L**EONTOPETA LV M caulem profert do- drantalem, aut etiam altiorem, plurimis alis concauam: in quarum cacuminibus siliquæ sunt cicerum modo, ac in his duo triáve minuta semina, flores punicei, anemonæ similes, folia brassicæ, papaueris foliorum diuisura: radix nigra, rapo similis, quæ eminēntias seu nodos quoddam habet. Nascitur in aruis, ac inter segetes. Radix ex vino po- ta, commorsis à serpente auxiliatur, dolor- rem omnem celeriter eximens. Miscetur & ischiadicorum clysteribus.

*De Tencro.* CAP. CXI.

**T**ENCRO sunt qui etiam chamæ- dryn appellant. Herba est virgæ spe- ciem præse ferens, triflagini similis, tenui folio ac ciceris figura. In Cilicia iuxta Gen- tiadem & Cissiadem appellatam vberim prouenit. Recens cum posca, vel etiam ari- dæ feruectâ ius, potu potenter lienem consumendi vim habet. Sed & lienosis im- ponitur cum fiscis & aceto: venenatorum

Z. j.

autem animalium morsibus, ex aceto sole  
sine fies.

*De Trifflagine. CAP. CXII.*

**T**RISAGO Græcis chamædrys, quibus-  
dam chamædrops, aliis linodrys dici-  
tur. Sunt & qui eam ipsam Teucrium appel-  
lauerint, propterea quodd cum teucro quan-  
dam seruet similitudinem. Nascitur in aspe-  
ris ac petrosis locis. Est verò frutex exiguis,  
dodrantalis, folia habens exigua, effigie &  
diuisura quercus, amara: florem penè purpu-  
reum ac pusillum. Carpi ipsam semine præ-  
gnantem oportet. Recens in aqua decocta,  
potu conuulsis, tussi, lieni indurato, vrinæ  
difficultate laborantibus ac incipientibus  
hydropicis auxiliatur. Ciet etiam menses,  
atque partus extrahit, lienémque ex aceto  
pota consumit. Est & aduersus venenata a-  
nimantia potu ex vino illitūque efficax.  
Sed & trita, in catapotia redigi potest ad su-  
pradicta. Efficax quoque est ad repurganda  
vetera ulceræ cum melle. Trita verò cum o-  
leo & illita, caligines oculorum discutit. De-  
siique excalfacit perunctione.

*De Lencale. CAP. CXIII.*

**L**EVCAS montana latioribus foliis est  
quam sativa, semine verò acriore, ama-  
riore atque etiam ori magis ingrato: atta-  
men quam sativa efficacior habetur. Vtraq;  
cum

cum vino & illitu & potu contravirulentorum animalium, maximèque marinorum, venena efficax.

*De Lychnide coronaria.*

CAP. CXIII.

**L**YCHNIS coronaria flore est albæ violæ, sed purpureo: qui quidem in corollas nectitur. Semen in vino potum, à scorpione ictis auxiliatur.

*De Lychnide sylvestris.* CAP. CXV.

Lychnis sylvestris, omni ex parte satiuæ similis. Semen duabus drachmis potum, biliosa per aluum detrahit, & ictis à scorpione subuenit. Sed & aiunt scorpiones hac herba admota torpescere, prorsusque inertes & ad laddendum inefficaces reddi.

*De Lilio.* CAP. CXVI.

**L**ILO regij flos coronarius est: lixium nonnulli vocant: ex eoque paratur vnguentum, quod aliqui lirinum, alijs susinum appellant, neruos, priuatimque vulvæ duritias, emolliens. Herbæ folia imposita, serpentium morsibus opitulantur: feruefacta quoque, adustis proficiunt: aceto verd condita, vulneribus prosunt. Ex eorundem succo in ænco vase decocto, adiectis aceto & melle, liquidum fit medicamentum, veteribus ulceribus recentibusque vulneribus utile. Inassata radix & ex rosaceo trita, igni

Z. ij.

ambusta sanat, vulvam emollit, menstrua  
cier, viceraque cicatrice obducit. Cum mei-  
le autem detrita, praecisis neruis luxatisque  
medetur: alphosque, lepras & furfures e-  
mendat. Quin & vlcera in capite manantia  
exterget, faciemque purgat firmul & erugat.  
Eadem trita cum aceto aut hyoscyami foliis  
& farina tritici, testium inflammations de-  
mulcet. Semen verò potum, serpentium  
morsibus aduersatur: erysipelatis autem se-  
men & folia trita ex vino imponuntur.  
Tradunt porrò nonnulli, etiam purpureos  
nasci liliorum flores. Cæterum in Syria &  
& Pisidia Pamphyliæ lilia vnguento confi-  
ciendo efficacissima nascuntur.

*De Ballote.* CAP. CXVII.

**B**ALLOTE, seu marrubium nigrum, cau-  
les edit quadrangulos, nigricantes, sub-  
hirsutos, ab vna radice numerosos, foliis  
marrubij: at maioribus, rotundioribus, ni-  
gris & hirsutis, caulem per interualla cing-  
gentibus apiastris similitudine, atque etiam  
graueolentibus. Vnde & hanc aliqui apia-  
strum vocauere. Sed & flores candidi vna  
cum foliis orbiculatim caules ipsos am-  
biunt. Huius folia ex sale imposita, aduersus  
canis morsus efficacia sunt. Feruēti verò ci-  
nere cocta dū flaccescāt, condylomata repri-  
muunt, sordidag; vlcera cum melle purgant.

De

*De Apiastro.* CAP. CXVIII.

**A**PISTRVM, quod Græci melissophyl-  
lon, & aliò nomine melittænam, vo-  
cant, quoniam apes ea herba delectantur,  
foliis & caulinis antè memoratae ballotæ  
similis est: attamen maioribus & tenuiori-  
bus, neque ita hirsutis, citreum verò malum  
redolentibus. Folia cum vino pota atque e-  
tiam imposita, prosunt contra scorpionum  
ictus, necnon & phalangiorum canisque ra-  
bidi morsus. Eorundem decoctum fotu ad  
eadem valet. Conuenit etiamnum fœmina-  
rum defensionibus ad ciendos menses. Col-  
luitur & in dentium doloribus, atque etiam  
dysentericis infunditur. Folia quoque addi-  
to nitro bibita, iis auxiliantur qui à fungis  
strangulantur, necnon torminosis: ortho-  
pnoïcis verò, in eclegmate sumpta. Cæte-  
rū imposita cum sale, strumas discutiunt,  
itemque ulcera purgant: sed & articulares  
dolores illita sedant.

*De Marrubio.* CAP. CXIX.

**M**ARRUBIVM frutex est ab una radi-  
virga ramosus, subhirsutus; candicans,  
virgis quadrangularibus: folium pollicem  
æquat, subrotundum, villosum, rugosum,  
gusto amaro: Semen est in caulinis ex in-  
terioruallis: flores verticillato ambitu asperi.  
Nascitur circa domorum areas & rudectas.

Z. iii.

Huius foliorum siccorum simul & seminis decoctum ex aqua, aut etiam recentium foliorum succus vñà cum melle, tabidis, suspiciosis ac tussientibus exhibetur. Crassam quoque pituitam pectore contentam, amixta iride siccata, excreatione purgat. Datur & mulieribus quæ non purgantur, ad euocanda menstrua, secundasque pellendas: itemque difficile parentibus, atque etiam his qui à venenatis bestiis commorati sunt, necnon & iis qui venena hauserunt: attamen vesicam ac renes offendit. Folia cum melle illita, sordida purgant ulcera: pterygia nomásque fistunt, & laterum dolores mitigant. Sed & succus foliis contusis expressus & in sole spissatus coactus, ad eadem pollet. Cum vino quoque ac melle inunctus, oculorum claritatem adiuuat: per nares itidem regium morbum expurgat. Denique aurium doloribus per se & cum rosaceo conuenienter instillatur.

*De Stachy.* C A P . C X X .

**S**TACHYS frutex est marrubio similis, sed aliquantò longior, & folia proferens numerosa, rara, subhirsuta, dura, odoris iucundi, candida: & complures virgulas ab eadem radice exeuntes, quam marrubij candidiores. Nascitur in mótoſis & asperis locis. Vim habet excalfactoriam & acrem: ideoque folie-

Foliorum decoctum menstrua secundasque  
potu pellit.

*De Phyllide. CAP. CXXI.*

**P**HYLЛИTIS folia promit rumici similia,  
sed oblongiora & magis virentia, se-  
na septenāve, recta: quaque parte anteriore  
lauia cernuntur, posteriore verò, tenues  
quasi vermiculos annexos ostendunt. Nasci-  
tur in umbrosis locis ac viridariis, gustu a-  
cerbo. Neque verò caulem, neque semen,  
neque florem profert. Folia in vino pota,  
serpentium morsibus aduersantur. Quadru-  
pedibus itidem per os infusa auxilio sunt.  
Bibuntur & ad dysenteriam & ad dia-  
rheam.

*De Phalangio. CAP. CXXII.*

**P**HALANGIVM aliqui phalangiten, alij  
etiam leucacantham appellant. Ramuli  
ei sunt duo aut tres plurēsve, inter se distan-  
tes: flores candidi, liliaceis similes, incisuras  
multas habentes. Semen verò latum, ni-  
grum, ad dimidiatę lentis figuram, sed mul-  
tò gracilis. Radicula parua, tenuis, & dum  
è terra eruitur, coloris herbacei: postea ve-  
rò, contrahit sese. Nascitur in collibus. Fo-  
lia, semen & flos, siquidem ex vino biban-  
tur, contra scorpionum ictus phalangio-  
rumque morsus auxiliantur: tormina quo-  
que discutiunt.

Z. iiiij.